

ca quidem arte ordinatum: sed autoritate sanctarum scripturarum detextum: multis enim assertionibus usus est antequam scripturarum testimonia poneret.

L VII.

Fastidius, Britanniarum Episcopus, scripsit ad Fatalem quendam de vita Christiana librum unum: & alium de viduitate servanda, sana & Deo digna doctrina.

L VIII.

Cyrillus, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, edidit variarum *ὑποθέσεων* tractatus: homilias etiam composuit plurimas: quæ ad declamandum à Græciæ Episcopis memoriæ commendantur. Præterea libri ejus sunt de synagogæ defectu: de fide adversum hæreticos: & peculiari intentione adversus Nestorium compositus, qui intitulatur *Ἐλεγος*. In quo omnia Nestorii occulta panduntur, & prodita confutantur.

L IX.

Timorheus Episcopus, composuit librum de navitate Domini secundum carnem: quam credit in Epiphania factam.

L X.

Leporius adhuc monachus, postea Presbyter, præsumens de puritate vitæ: quam arbitrio tantum, & conatu proprio, non Dei se adjutorio obrinuisse credebat, Pelagianum dogma cœperat sequi: sed à Gallicanis doctoribus admonitus, & in Africa per Augustinum à Deo emendatus, scripsit emendationis suæ libellum: in quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione. Simul & quod de incarnatione Christi malè senserat corrigens, catholicam sententiam tulit dicens: manentibus in Christo in sua substantia duabus naturis, unam reddi Filii Dei personam.

L XI.

Victorinus, rhetor Massiliensis, ad filii sui Etheerii personam commentatus est in Genesim, id est, à principio libri usque ad obitum Abrahamæ Patriarchæ: Quatuor versus edidit libros, Christiano quidem & pio sensu, sed utpote sæculari literatura homo occupatus, & nullius magisterio in divinis scripturis exercitatus, levioris ponderis sententias figuravit. Moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus.

L XII.

Cassianus, natione Scythæ, Constantinopoli à Joanne magno Episcopo diaconus ordinatus, apud Massiliam Presbyter, condidit duo, id est, virorum & mulierum monasteria, quæ usque hodie extant. Scripsit experientia magistrante plano & librato sermone, & (ut apertius dicam) sensu verba inveniens, & actione linguam movens, res omnium monachorum professioni necessarias: id est, de habitu monachi: de canonico orationum atque psalmodum modo, qui in monasteriis Egypti die noctuque tenentur libros tres: institutionum librum unum. De origine & qualitate ac remediis octo principalium vitiorum, libros octo: singulos scilicet de singulis

vitii libros expediens. Digessit etiam collationes cum patribus Egypti habitas, hoc est, de destinatione monachi, ac sine: de discretionem: de tribus ad servandum Deo vocationibus. De pugna carnis adversum spiritum, & spiritum adversum carnem. De natura omnium vitiorum: de nece sanctorum: de mobilitate animæ: de octo principalibus vitiiis: de qualitate orationis: de jugitate orationis: de perfectione: de castitate: de protectione Dei: de scientia spiritali: de divinis charismatibus: de amicitia: de definiendo, vel non definiendo: de tribus antiquis generibus monachorum, & quarto nuper exorto: de sine cenobitæ & eremite: de satisfactione penitentia: de remissione quinquagesimæ: de nocturnis illusionibus: de eo quod dicit Apostolus: Non enim quod volo, facio bonum: sed quod nolo malum, hoc ago: de mortificatione. Et ad extremum rogatus à Leone archidiacono, postea urbis Romæ Episcopo: scripsit adversus Nestorem de incarnatione Domini, libros septem. Et in his scribendi apud Massiliam, & vivendi finem fecit, Theodosio & Valentiniano regnantibus.

L XIII.

Philippus Presbyter, optimus auditor Hieronymi, commentatus in Job, edidit sermone simplici libros. Legi ejus & familiares Epistolas, & valde falsas, & maxime ad paupertatis & dolorum tolerantiam exhortatorias. Moritur Martino & Avito regnantibus.

L XIV.

Eucherius Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus scripsit ad Valerianum propinquum suum de contemptu mundi, & sæcularis philosophiæ, Epistolam unam, scholastico & rationabili sermone. Dissertit etiam ad personam filiorum Salonii & Veroni, postea Episcoporum, obscura quæque sanctarum capitula scripturarum. Sed & Cassiani quædam opuscula lato tenso eloquio, angusto revolvens verbi tramite, in uno cœgit volumine: aliaque tam Ecclesiasticis studiis necessaria quam monasticis. Moritur Valentiniano & Martino regnantibus.

L XV.

Cæsarius Arelatensis urbis Episcopus, vir sanctitate & virtutibus celebris, scripsit egregia & grata, & valde Monachis necessaria opuscula. De gratia quoque & libero arbitrio edidit testimonia divinarum Scripturarum, & sanctorum Patrum indicis munita. Ubi docet nihil hominem proprio arbitrio aliquid boni agere posse, nisi eum divina gratia prævenierit. Quod opus etiam Papa Felix per suam Epistolam roboravit & latius promulgavit. Floruit hic eo tempore quo & Faustus: Anastasio rempublicam gubernante.

L XVI.

Vincentius, natione Gallus, apud Monasterium in Lerinensi insula Presbyter: vir in Scripturis sanctis doctus, & notitia Ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus, composuit ad evertenda hæreticorum collegia nitido & aperto sermone validissimam disputationem: quam absconso nomine suo, attulavit, Peregrini adversum hæreticos: cuius operis, quia secundi libri maximam in schedulis

partem, à quibusdam furatam perdidit, recapitulato ejus paucis sermonibus sensu primo compegit: & in unum librum edidit. Moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus.

L XVII.

Syagrius scripsit de fide adversum præsumptuosæ hæreticorum vocabula: quæ ad destruenda vel immutanda sanctæ Trinitatis nomina usurpata sunt, dicentium patrem non debere patrem dici: ne in patris nomine filius consonet: sed ingenitum & infectum ac solitarium nuncupandum: ut quicquid extra illum in persona est, extra illum sit in natura: ostendens & patrem quidem posse dici ingenitum, licet scriptura non dixerit: & ex se genuisse in persona filium, non fecisse: & ex se protulisse in persona Spiritum sanctum: non genuisse, neque fecisse. Sub hujus Syagrii nomine, septem de fide & regulis fidei libros prætitulatos inveni: Sed quia lingua variantur, non ejus credidi esse.

L XVIII.

Isaac, Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, scripsit Syro sermone longo tempore & multa: præcipua tamen cura adversum Nestorianos & Eutyrianos: ruinam etiam Antiochiæ elegiaco carmine planxit, coauditores imbuens sono, quo Ephrem diaconus Nicomediæ lapsus. Moritur Leone & Majorano regnantibus.

L XIX.

Salvianus Massiliensis Presbyter, divina & humana literatura instructus: & (ut absque invidia loquar) Episcoporum magister, scripsit scholastico & aperto sermone multa: ex quibus ista legi: De virginitatis bono, ad Marcellum Presbyterum, libros tres: adversum avaritiam, libros quatuor. De præsentis judicio, libros quinque: & pro eorum merito satisfactionis, ad Salonium Episcopum, librum unum: & expositionis extremæ partis Ecclesiasticis, ad Claudianum Episcopum Viennensem, librum unum: Epistolarum librum unum: & in morem Græcorum, de principio Genesis usque ad conditionem hominis, composuit versus quasi Hexameron librum unum. Homilias, Episcopus factus, multas: sacramentorum verò, quantas nec recordor. Vivit usque hodie in senectute bona.

L XX.

Paulinus composuit tractatus de initio quadragesimæ: de quibus legi duos. De die dominico paschæ, de obedientia, de penitentia, de neophytis.

L XXI.

Hilarius Arelatensis Episcopus, vir in sanctis Scripturis doctus, paupertatis amator: & erga inopum provisionem, non solum mentis pietate, sed & corporis sui labore sollicitus fuit. Nam pro reficiendis pauperibus, etiam rusticationem contra vires suas homo genere clarus & longè aliter educatus exercuit: sed nec in spiritualibus neglexit. Nam & in docendo gratiam habuit: & absque personarum acceptione omnibus castigatum opus prædicationis ingessit. Ingenio verò immortalis, aliqua & parva edidit, quæ eruditæ animæ & fidelis lingue indicia sunt: in quibus præcipua & ad multorum utilitatem necessaria opera, vitam sancti Hono-

rati decessoris sui composuit. Moritur Valentiniano & Martino imperatoribus.

L XXII.

Leo urbis Romæ Episcopus, scripsit ad Flavianum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, adversum Eutychem Presbyterum, qui tunc ambitione episcopatus, nova in Ecclesiam moliebatur inducere: Epistolam, in qua admoner eum, ut si confiteretur errorem & polliceretur emendationem, reciperet eum. Si autem persisteret in incepto, cum sua hæresi damnaretur. Simul docet in ipsa Epistola & divinis confirmat testimoniis, Dominum Jesum Christum, sicut paternæ divinitatis verum filium: ita verum humanæ naturæ esse hominem credendum: id est, ex carne virginis, carnem traxisse: & non de cælo corpus sibi exhibuisse, sicut Eutyches asserbat. Moritur Leone & Majorano imperatoribus.

L XXIII.

Mochimus Mesopotamensis apud Antiochiam Presbyter, scripsit adversum Eutychem egregium librum: & alia scribere dicitur, quæ necdum legi.

L XXIV.

Timotheus extincto ab Alexandrinis Protherio Episcopo, tumultuante adhuc plebe, aut voluit, aut passus est se ab uno Episcopo in locum occisi Episcopi fieri Episcopum. Et ne contra legem factus merito abjiceretur, ad gratiam plebis, quæ Protherium exofum habuerat: omnes quibus ille communicaverat, Nestorianos esse pronuntiavit: & maculam conscientia temeritate abluendam præsumens, scripsit ad Leonem imperatorem libellum valde suavis, quem pravo sensu patrum testimoniis intantum roborare conatus est, ut ad decipiendum imperatorem, & suam hæresim confortandam, penè Leonem urbis Romæ Episcopum, & Chalcedonensem synodum, ac totos Orientalium Episcopos, illorum adminiculo Nestorianos ostenderet. Sed favente Deo à Calcedonensi concilio hostis Ecclesiæ coargutus est & confutatus. Vivere adhuc in exilio jam hæresiarches dicitur, & habetur. Hunc ipsum libellum cognoscendi gratia, ego rogatus à fratribus, in Latinum transuli, & cavendum prætitulavi.

L XXV.

Asclepius Afer in Baiensi territorio vici non grandis Episcopus, scripsit adversum Arianos, & modo adversum Donatistas scribere dicitur: in docendo autem ex tempore grandi opinione celebratur.

L XXVI.

Petrus Edessæ Ecclesiæ Presbyter, declamator insignis, scripsit variarum causarum tractatus, & in morem sancti Ephrem diaconi psalmos metro composuit.

L XXVII.

Paulus Presbyter, natione (ut ex dictis ejus cognovi) Pannonius, scripsit de virginitate servanda & contemptu mundi, ac vitæ institutione vel morum correptione mediocri sermone, sed divino conditos sane libros duos, ad personam cuiusdam no-

bilis, & Christo dedit virginis Constantia nomine: in quibus meminit Joviniani hæretici, & voluptatum ac libidinum prædicatoris: cui intantum continentis & castæ vitæ institutio contraria fuerat, ut inter luxuriosas epulas animam eructaret.

LXXVIII.

Pastor Episcopus, composuit libellum in modum symboli parvum, totam penè Ecclesiasticam credulitatem per sententias continentem: in quo inter cæteras dissensionum pravitates, quas prætermisissis autorum vocabulis anathematizat, Priscillianos cum ipso autoris nomine damnat.

LXXIX.

* In MSS. Sangerm. vocatur Maurini.
Victor Cartennæ Mauritanie civitatis Episcopus, scripsit adversum Arianos librum unum & longum: quem Genserico Regi per suos audientium obtulit, sicut ex procemio ipsius libri didici. Scripsit & de poenitentia Publicani librum: in quo & regulam vivendi poenitentibus juxta scripturarum auctoritatem statuit: & ad Basilium quendam super morte filii consolatorium libellum, spe resurrectionis perfecta instructione munitum. Homilias etiam composuit multas, quas à fratribus salutis propria sollicitis in libris digestas servari cognovi.

LXXX.

Voconius Castellani Mauritanie oppidi Episcopus, scripsit adversum Ecclesie inimicos Judæos & Arianos & alios hæreticos. Composuit etiam sacramentorum egregium volumen.

LXXXI.

Museus Massiliensis, Ecclesie Presbyter, vir in divinis Scripturis doctus, & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, lingua quoque scholasticus, hortatu sancti Venerii Episcopi excerptis ex sanctis Scripturis lectiones totius anni festivis aptas diebus: responsoria, etiam psalmorum capitula, tempore & lectionibus congruentia: quod opus tam necessarium à lectoribus in Ecclesia probatur: ut experitum, & sollicitudinem tollat & moram, plebique ingerat scientiam, celebritatem & decorem. Sed & ad personam sancti Eustasii Episcopi successoris supradicti hominis Dei, composuit sacramentorum egregium & non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum & temporum, pro lectionum textu psalmorumque serie & decantatione discretum: sed supplicandi Deo, & contestandi beneficiorum ejus soliditate sui consentaneum: quo opere gravissimi sensus & castigata eloquentia agnovimus virum. Homilias etiam dicitur declamasse, quas & haberi à fidelibus viris cognovi: sed ego non legi. Moritur Leone & Majorano regnantibus.

LXXXII.

Vincencius Presbyter, & ipse natione Gallus, in divinis Scripturis exercitatus, linguam habens usu loquendi, & majorum lectione politam, commentatus est in psalmos: cujus operis legit aliqua sancto homini Dei Cannati me audiente: promittens simul si Dominus vitam & vires daret, se in toto psalterio eodem studio laboraturum.

LXXXIII.

Cyrus genere Alexandrinus, arte medicus, & ex philosopho Monachus, vir dicendi peritus, scripsit adversum Nestorem prius eleganter & fortiter. Modo autem dum in illum nimius invehitur, & syllogismis magis quam scripturis agit, Timotheanum dogma fovere cepit. Denique ambiguusque etiam sui suspendit animum à consensu Chalcedonensis decreti, nec acquiescendum putat Filium Dei duabus post incarnationem constare naturis.

LXXXIV.

Samuel Edissenæ Ecclesie Presbyter, multa adversum Ecclesie inimicos Syro sermone construebat dicitur: præcipua tamen intentione contra Nestorianos, & Eutythianos, & Timotheanos novellos: sive ad diversos hæreticos. Unde & frequenter triformem bestiam & ecclesiastica non semel sententia cum auctoritate sanctarum Scripturarum summatam ferit: ostendens Nestorianis Deum in homine, non purum hominem ex virgine natum. Eutythianis veram humani generis carnem à Deo assumptam, & non de cælo exhibitam: nec crassi aëris substantiam in carne formatam. Timotheanis ita verbum carnem factum: ut manente verbo in sua substantia, & homine in sua natura, societate, non immixtione unam Filii Dei reddidisse personam. Vivere adhuc apud Constantinopolim dicitur. Nam initio collati Anthemio imperii, & scripta ejus, & esse eum in carne cognovi.

LXXXV.

Claudius Viennensis Ecclesie Presbyter, vir ad loquendum artifex, & ad disputandum subtilis: composuit tres de statu vel de substantia animæ libros, in quibus agit intentionem, quatenus ostendat aliquid incorporeum præter Deum.

LXXXVI.

Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, & assertionibus nervosus, multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nominis illius prætitulata legi: continentia à primi hominis conditione, juxta divinarum Scripturarum fidem, usque ad obitum Valentiniani Augusti: & captivitatem urbis Romæ à Genserico Wandalorum rege factam. Legi & librum adversum opuscula suppresso nomine Cassiani: quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva. Re enim vera Cassiani & Prosperi de gratia Dei & libero arbitrio sententiæ in aliquibus sibi inveniuntur contrariæ. Epistolæ quoque Papæ Leonis adversum Eutythen, de vera Christi incarnatione ad diversos datæ, ab ipso dictatæ creduntur.

LXXXVII.

Faustus ex Abbate Lerinensis monasterii apud regnum Gallie Episcopus factus, vir in divinis Scripturis satis intentus, ex traditione symboli occasione accepta, composuit librum de Spiritu sancto: in quo ostendit eum juxta fidem Patrum consubstantialem & coeternalem esse Patri & Filio: ac plenitudinem Trinitatis obtinentem. Edidit quoque opus egregium de gratia Dei, qua salvamur: & libero

humanæ mentis arbitrio, in quo salvamur: in quo opere docet gratiam Dei semper & invitare, & præcedere, & juvare voluntatem nostram: & quicquid ipsa libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum. Legi ejus & adversum Arianos & Macedonianos parvum libellum, in quo coessentialem prædicat Trinitatem, & alium adversus eos qui dicunt esse in creaturis aliquid incorporeum. In quo divinis testimoniis & Patrum confirmat sententiis, nihil credendum incorporeum præter Deum. Est ejus Epistola in modum libelli ad diaconum quendam Gratium nomine edita, qui à fide Catholica discedens, ad Nestorianam abiit impietatem. In qua Epistola admonet eum credere sanctam Mariam virginem, non purum hominem genuisse, qui postea susciperet divinitatem, sed Deum verum & hominem verum. Sunt ejus & alia scripta, quæ quia necdum legi, nominare nolui: viva tamen voce egregius doctor & creditur & probatur. Scripsit postea & ad Felicem præfectum prætorio & patriciæ dignitatis virum, filium magni consulis jam religiosum, Epistolam ad timorem Dei hortatoriam, convenientem personis pleno animo poenitentiam agere disponentium.

LXXXVIII.

Servus Dei Episcopus, scripsit adversum eos qui dicunt Christum in hac vita degentem non vidisse carnis suis oculis patrem: sed post resurrectionem ex mortuis & ascensionem in cælis, cum translatus est in gloriam Dei Patris, profectum scilicet ei dantis in remunerationem martyrii: in quâ scriptura ostendit & disputatione sana & sanctarum Scripturarum testimoniis, Dominum Jesum ab ipso ejus conceptu per Spiritum sanctum factum & partu ex virgine: quo Deus verus in homine vero: ipse quoque homo Deus factus natus est, semper carnis suæ oculis & Patrem vidisse & Spiritum sanctum per specialem & unitam Dei & hominis societatem.

LXXXIX.

Victorius homo natione Aquitanicus, calculator scripturarum scrupulosus, invitatus à sancto Hilario urbis Romæ Episcopo: composuit paschalem cursum indagazione cautissima, post quatuor priores, qui composuerant, id est Hippolytum, Eusebium, Theophilum, & Prosperum: & protendit annorum seriem usque ad annum quingentesimum tricesimum secundum: ita ut à quingentesimo tricesimo tertio anno reincipiat paschalis solemnitas, eodem mense & die eademque luna: quæ primo passionis ac resurrectionis dominicæ anno facta est.

XC.

Theodoretus Cyriæ civitatis Episcopus (à Cyro enim rege Persarum condita, servat hodieque apud Syriam nomen autoris) scripsisse dicitur multa: ad meam notitiam tamen ista sunt quæ venerunt: De incarnatione Domini adversum Eutythen Presbyterum & Dioscorum Alexandriæ Episcopum, qui humanam in Christo carnem fuisse negant: scripta fortia, per quæ confirmat & ratione & testimoniis scripturarum, ita illum veram maternæ substantiæ carnem habuisse, quam ex matre virgine sumpsit: sicut & veram deitatem, quam æterna nascibilitate Deo Patre gignente, ipse nascendo accepit. Et decem hi-

storiarum ecclesiasticarum libri, quos imitatus Eusebium Cæsariensem conscripsit, incipiens à fine librorum Eusebii usque ad suum tempus: id est, à vicennialibus Constantinis usque ad imperium Leonis senioris deduxit, sub quo & mortuus est.

XCI.

Gennadius Constantinopolitanæ Ecclesie Pontifex, vir lingua nitidus, & ingenio acer: tam dives ex lectione antiquorum fuit, ut Daniellem Prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret. Homilias etiam multas composuit. Moritur seniore Leone imperium tenente.

XCII.

Theodulus in Cælesyria Presbyter multa conscribere dicitur: sed ad me liber ejus venit, quem de consonantia divinæ scripturæ composuit, id est, veteris & novi Testamenti adversus antiquos hæreticos. Qui propter differentiam præceptorum vel ceremoniarum, alium veteris Testamenti Deum dixerunt, alium novi. In quo ostendit dispensationis fuisse unius ejusdemque Dei auctoris utriusque scripturæ, ut alia per Moysen antiquis lex daretur in sacrificiorum ceremoniis, & judiciorum animadversionibus: alia nobis per Christi præsentiam in sacris mysteriis, & futuris repromissionibus: nec diversa credi debere, aut non uno spiritu & uno auctore dictata, cum illa quæ si modo secundum litteram observarentur occiderent, eadem ipsa secundum spiritum intellecta vivificent. Moritur hic scriptor ante triennium regnante Zenone.

XCIII.

Sydonius Arvernorum Episcopus scripsit varia & grata opuscula, & sanctæ doctrinæ. Homo siquidem tam divinis, quam humanis ad integrum imbuitus, acerque ingenio, scripsit diverso metro, vel prosa versu compositum Epistolarum insigne volumen: in quo quid in litteris possit, ostendit. Verum in Christiano vigore pollens, etiam inter barbaræ ferocitatis duritiam, quæ eo tempore Gallos oppreserat, Catholicus Pater & Doctor habetur insignis. Floruit ea tempestate qua Leo & Zeno Romanis imperabant.

XCIV.

Joannes Antiochenæ Parochiæ ex grammatico Presbyter: scripsit adversum eos qui in una tantum substantia adorandum asserunt Christum: nec acquiescunt duas in Christo consentandas naturas: docens secundum relationem scripturarum unam in illo Dei & hominis esse personam, non unam carnis & verbi naturam. Simul & impugnat aliquas Cyrilli Alexandrini Episcopi sententiæ: docens incaute ab illo adversum Nestorem prolatas, quæ nunc fomentum sunt & robur addunt Timotheanis: quod valde inaniter dicit. Vivere adhuc dicitur & extempore declamare.

XCV.

Honoratus Constantiæ Africæ civitatis Episcopus, scripsit ad Arcadium quendam, qui pro confessione fidei Catholicæ in partes Africæ exulabat, Epistolam ad labores pro Christo ferendos hortatoriam, & exemplis præsentibus, & scripturarum relationibus roboratam: & quod confessionis fidei perseverantia, non solum præterita purgat à crimine peccata, sed & meritum procuret martyrii.